

Emendationum Aristophanearum

Specimen II.

Postquam iam in ea quae est de emendatione Nubium Aristophanis ante hos viginti menses a me edita dissertatione, quam in emendando poeta secutus sum rationem ac viam, ita indicavi, ut inde facile iudicari posset, quomodo librorum mss. auxilio utendum esse censerem: nunc, ubi Equitum editioni nuper absolutae brevem quandam disputationem quasi comitem addere constitui, qua ea, quae aut ex codicibus aut ex mea coniectura novavissem, quam optime possem munire ac defenderem, supervacaneum profecto habuissem, eandem rem iterum attingere, nisi a quibusdam minus recte ea quae dixeram intellecta esse cognovissem. Itaque hoc primum eos qui haec legent scire atque tenere velim, semper me optimorum librorum, imprimis Ravennatis et Veneti, auctoritatem tanti aestimavisse, ut omnes eorum lectiones iterum iterumque quam diligentissime et accuratissime perpendere et nusquam ab eorum scriptura recesserim, nisi ubi me aperta quaedam et inevitabilis ut ita dicam necessitas id ut facerem cogeret. Nam illos libros, si universos spectemus, tanti facio, ut ne errata quidem eorum plane inutilia esse arbitrer ad veram lectionem indagandam: immo vero qui causas depravationum vel levissimarum, quae in illis inveniuntur, penitus perspexerit, eum demum fabulis poetae, quatenus hodie id fieri potest, pristinum splendorem redditurum

esse existimo. Sed ut omnibus ceteris codicibus illos sine ulla dubitatione praeferendos esse censeo, ita eorum non pluris facio quam ipsius Aristophanis auctoritatem; neque ideo, quod optime in illis veram carminum Aristophaneorum formam servatam esse arbitror, puriorem et meliorem nunquam fuisse contendo; ut is, qui poetae comoedias editurus sit, haud raro vel omnium librorum vestigia relinquere atque etiam coniectura verum eruere cogatur: quam etsi difficilem esse et proclivem in errores viam libenter concedo, tamen ineundam censeo multa quidem cum verecundia et circumspeditione, sed etiam forti et constanti animo. Quam si forte in Nubibus non semper felici cum successu ingressus sum, ingenii potius eam culpam haberi velim, quam ostentationis et temeritatis.

Et primum quidem etiam ex Equilibus aliquot Ravennatis discrepantias excerpam, quibus luculentissime in iis locis, ubi ex pronuntiationis ambiguitate lectionis varietas profecta est, paene nullam esse praestantissimi illius libri auctoritatem demonstratur. Proponam vero ex satis multis ea tantum exempla, quae aut vili evidentia aut aliam quandam ob causam praeter cetera insignia aut memorabilia videantur.

Confunduntur 1) αι et ε: 137 και κράκτης (pro κεράκτης),
159 ἀθηναίων (Ἀθηνέων), 321 ἔναιον (pro ἔνεον),
487 κεκραγόν (καί κραγόν), 589 ἑτέρα (ἑταίρα), 788
γεγένησε (γεγένησαι), 1141 σκέψασθαι (σκέψασθε).

2) ου, ω, ο: 147 θείων (θεῖον), 289 τὸν νότον (τὸ νότον),
529 δοροῦ (Δωροῦ), 560 σοιάρατε (Σουιάρατε), 597
εἰςβουλὰς (εἰςβολὰς), 764 τῶν δῆμον τῶν (τὸν δ. τόν),
909 τὸφθαλμιδίω (τὸφθαλμιδίω), 1276 ὦν (ὄν), et
semper fere δύω pro δύο.

3) οι, ει, ι, υ, η: 19 διασκανδικήσης (διασκανδικήσης),
129 στυπιοσιώλης (στυππεισιπ.) 138 ἐν' (ἤν) 352 κα-
τεγλωτισμένην (κατεγλωτισσιμ.), 443 ἀστρατίας (ἀστρα-
τίας), 547 λιναῖτην (ληναῖτην), 646 οἱ δ' (ἤ δ' recte
Fritzsche), 651 ἐκεχίνεσαν (ἐκεχήμεσαν), 709 πρυτανίω

(*πρωτανείφ*), 727 *ἔν' αἰδῆς* h. e. *ἵνα ἴδῃς* (pro *ἔν' εἰδῆς*), 749. 1137 *πυκνῆι* (*πυκνί*), 790 *ἀμείνων* (*ἀμύνων*), 798. 963. 964 (*δῆ*) *δῆ* (*δεῖ*), 841 *σύ* (*σοι*), 843 *ταυτί* et *Ποσιδῶ* (*ταῦτη* et *Ποσειδῶ*), 1034 *διαλίχων* (*διαλείχων*), 1221 *ἠοργάζετο* (*εἰργ.*), 1225 *τοι* (*τω*), 1238 *πάλιν* (*πάλην*), 1246 *ἠλλαντοπόλης* (— *εις*) 1264 *αἰδεῖν* (*αἰίδειν*), 1311 *καθεῖσθαι* (*καθῆσθαι*), 1348 *σκιάδιον* (*σκιάδειον*).

4) θ, ζ, σ: 131 *εἶθ' οὔτοσί* (*εἶς οὔτοσί*), 508 *ἠνάγκασεν* (*ἠνάγκαζεν*), 1148 *ἀναγκάσω* (*ἀναγκάζω*).

5) λ, δ: 1032 *ἔξέλεται* (*ἔξέδεται*).

6) γ, κ: 1056 *γε* (*κε*).

7) In literis vel coniungendis vel separandis erratum est: 389 *μαλάξις σαυτόν* (*αυτόν*), 652 *τάμα* (*θ'άμα*), 680 *ὑπερενυππάζοντό με* (*ὑπερενύππαζόν τέ με*), 1018 *πρόσθε* — Ven. *πρόσθεν* — (*πρό σέθεν*), 1106 *ῥήσθιε* (*μη ῥσθιε*), 1340 *τῆι κλησίαι* (*τῆκκλησίαι*).

8) Verba non satis intellecta vel male audita aut mutilavit librarius aut cum aliis commutavit: 267 *ἔλεγον* (*ἔμελλον*), 283 *ποτε* (*πώποτε*), 287 *κατακράζομαι* (*κατακεκράζομαι*), 301 *ἀδεκατεύτων θεῶν* (*ἀδεκατεύτους τῶν θεῶν*), 419 *χεδών* (*χελιδών*), 437 *κακίας* (*καικίας*), 454 *γαστριγε* (*γύστριζε*), 468 *συμφυσώμεθα* (*συμφυσώμενα*), 529 *ἐνῆν* (*ῆν ἐν*), 532 *οὐκ ἐόντος* (*οὐκέτ' ἐόντος*), 545 *ἐσηδήσας* (*ἐσπηδήσας*), 580 *ἀπεστεγγισμένους* (*ἀπεστλεγγ.*), 616 *ὀλολύξαι* (*ἐπολολ.*), 668 *ἄτ'* (*ἄτθ'*), 736 *οἶ* (*οἶοι*, geminationem esse dictantis ratus), 789 *δελεάσμασι σννεῖλες* (*δελεάσμασιν εἶλες*, quum enim qui dictabat, *δελεάσμασι* dixisset et *ν ἐφελκυστικόν* a se omissum esse animadvertens ultimam vocis syllabam adiecta literula iteravisset, utrumque scripsit librarius), 88^o *βυλαντίοισι* cum Ven. (*βλαντίοισι*), 1304 *πονηρόν* (*μοχθηρόν*), 1368 *ὑπολίποις* (*ὑπολίποις*), 1371 *ἐγγράψεται* (*ἐγγεγράψεται*).

His praemonitis ad ea ipsa transeo, quae in Equitibus

mutanda esse censeo. Omissis vero omnibus, quae aut in editione iam ita firmavi, ut amplio-rem defensionem non desiderent, aut iam ab aliis proposita tamen primus recepi, ea tantum commemorabo, quae a me ipso excogitata explicatione aliqua egere videbantur. Quanquam enim otii angustiis non ita premor, ut tunc, quum Nubes emisi, tamen non ea mihi suppetit liberi temporis facultas, ut universam meam in arte critica rationem accuratius explānare et ad principia quae dicunt fontesque reducere liceat; ne illud quidem mihi permissum est, ut praeter hoc ipsum quod ago etiam alias Aristophanis fabulas respiciam et ex illis eorum quae proferam munimenta repetam; sed nunc quoque cogor in Equitibus acquiescere et ea tantum promere, quae ad emendationes meas in editione propositas pertineant.

Et initium quidem faciam ab iis, quae aut ex libris ipsis recipi aut ex eorum indiciis facile inveniri poterant; deinde ea recensebo, quae etiam contra codicum auctoritatem mutanda esse videbantur.

1. Promisit Demosthenes Insiciario, brevi tempore eum summum Atheniensium imperatorem fore totamque rempublicam suo arbitrio gubernaturum. Parum credenti confertos spectatorum ordines, forum, portus, comitium, curiam, prytaneum, deinde mare Aegaeum insulasque, totam denique oram maritimam a Caria usque ad Carthaginem pertinentem monstravit et haec omnia cum ad libidinem venditurum esse indicavit: *γίγναι γάρ, inquit, ὡς ὁ χρησμὸς οὕτως λέγει, ἀνὴρ μέγιστος* (v. 177). Vix quisquam de his verbis dubitaret, nisi codex Rav. miram exhiberet discrepantiam: inserit enim *ὄντως* post *γάρ*. Inesse quidem permulta in illo libro additamenta salis inepta et supervacanea nemo negabit, qui paullo accuratius eum inspexerit. Veluti in ipsis Equitibus nonnulla inveniuntur, quae summo iure editores reiecerunt. Sic v. 1248 nemo, opinor, Dindorfio assentiatur, qui, quum Rav. exhibeat: *οἴμοι κακοδαίμων, πέπρακται τοῦ θεοῦ τὸ θέσφατον*, eiecto verbo *πέπρακται* legendum esse coniecit:

οἷμοι κακοδαίμων, τοῦ θεοῦ τὸ θέσφατον. Nam illud κακο-
 δαίμων natum est ex recordatione duorum similium versuum
 1206 οἷμοι κακοδαίμων, ὑπερναιδενθήσομαι et 1243 οἷμοι
 κακοδαίμων οὐκέτ' οὐδέν εἰμ' ἐγώ. Neque magis quisquam
 v. 1250 propterea, quod in Rav. ἀπιθε iteratur, emendatio-
 nem vulgatae scripturae quaerendam esse suspicabitur; orta
 enim est illa discrepantia ex iteratione eius, qui ex antiqui-
 ore aliquo codice verba poetae librariis scribentibus dictabat.
 At plane alia est huius loci ratio. Tantum enim abest, ut
 ὄντως aliunde male illatum sit, ut aplissimum et accommo-
 datissimum esse illis ipsis verbis videatur, cum quibus con-
 iunctum est. Nam quum summis suis promissis Insciarium
 parum confidere intelligat, validissima affirmatione Demosthe-
 nes cavendum esse existimat, ne denuo ille de vaticiniorum
 suorum veritate dubitet. Quapropter ὄντως omnino videtur
 retinendum esse. Quaeritur vero, quid deinde eiiciendum sit.
 Qua in re non possum non discedere a Dindorfio, qui sublato
 verbo λέγει coniecit: γίγναι γὰρ ὄντως, ὡς ὁ χρησμὸς οὐτοσί.
 Ego potius mendum latere existimo in voce οὐτοσί, et scri-
 ptum fuisse in libro aliquo vetustiore: γίγναι γὰρ ὄντως,
 ὡς ὁ χρησμὸς σοι λέγει. Quod quum pronuntiationis ambi-
 guitate commutatum esset in χρησμὸς σοι λέγει, librarii σοι
 istud quasi reliquias esse opinati oblitteratae cuiusdam vocis
 οὐτοσί reposuerunt: ii vero, qui Ravennatem librum vel alium
 ei similem describebant, versum vitiosum esse unius iambi
 abundantia animadvertentes ὄντως eiecerunt: quo facto scri-
 ptura hodie vulgata exstilit. — De genere versuum dixit Por-
 sonus in praef. ad Hec. (ed. Lips. alter.) p. XXXIV.

2. Habet aliquam cum eo de quo modo diximus loco
 cognationem v. 517. Quamquam enim ea quae ibi leguntur:
 πολλῶν γὰρ δὴ πειρασάντων αὐτὴν ὀλίγοις χαρίσασθαι, aplis-
 sime dici poterant, tamen suspicionem movet, quod et Rav.
 et Ven. post ὀλίγοις aliam vocem exhibent: ille enim ὀλίγοις
 πάνν, hic ὀλίγοις ἤδη. Etiam hoc loco mera haec esse libra-
 riorum additamenta vix ausim dicere; quum praesertim, si

illud πάνυ et ἤδη vel potius δῆ in unum coniungas, optimus versus anapaestici exitus efficiatur: ὀλίγοις πάνυ δῆ χαρίσασθαι. Quod si receperis, mutatione opus erit in priore versus parte: itaque legendum censeo:

πολλῶν δ' αὐτὴν πειρασάντων ὀλίγοις πάνυ δῆ
χαρίσασθαι.

Quum vero pro δ' scriptum esset δέ vel δῆ, hiatus vitandi causa librarii αὐτὴν post partic. πειρασάντων ponendum esse putaverunt: quo facto in recentioribus libris fulciendi versus causa primum illatum est γάρ, deinde eiectum illud πάνυ δῆ, in optimis codicibus solis servatum.

3. Quantopere de Graecorum poetis scenicis, etiam de Aristophane, meruerit Porsonus, vir sagacissimus, vel tironibus notum est. Etiam in Equitibus ille ingenii sui satis multa vestigia reliquit. Quorum non levissimum illud mihi videtur esse, quod v. 365 pro iis, quae vulgo ibi leguntur, ἐγὼ δέ γ' ἐξελάω σε ex codicis Rav. scriptura (ἐγὼ δ' ἐξελλέγω) id quod sine dubio verum est ἐγὼ δέ γ' ἐξέλω σε egregio acumine elicuit. Nam, quae eius fuit sagacitas, optime librarium aliquem scripsisse perspexerat ἐγὼ δ' ἐξέλω, quum autem animadvertisset, omissas a se esse duas literulas ε' γ' (scripserat enim δ' pro δέ γ'), in margine libri illas adiecisse; eum vero, qui codicem describeret, quo literae illae pertinerent, non perspicentem, male eas in vocem ἐξέλω intulisse. Quo facto continuo ortum est ἐξελέγω: cuius verbi quum in arsi posita esset syllaba secunda, imperitus aliquis librarius literam λ duplicandam esse putavit. Est hoc egregium quoddam exemplum acuminis et prudentiae in explicanda variae scripturae origine. Miror vero virum excellentissimum non eadem sapientia esse adiutum in alius cuiusdam loci perspicienda natura: in quo eandem prorsus adhibendam fuisse contendo viam ac rationem emendationis. V. enim 787 olim vulgo legebatur: τοῦτό γε τοῦργον ἀληθῶς ἐστὶν γενναῖον καὶ φιλόδημον. Veteres editiones omnes omittunt ἐστὶν et post γε addunt σου, σου etiam Ven. At Rav. mutato

verborum ordine: *τοῦτό γέ τοι σ' ἀληθῶς αὐτουργον*. Qua discrepantia ex parte tantum usus Porsonus id effecit, quod adhuc in editionibus permansit: *τοῦτό γέ τοι σου τοῦργον ἀληθῶς κτλ*. Quod quin commode dici potuerit, dubium esse non potest: attamen verum esse nunquam mihi persuadebo. Depravatum esse istud *αὐτουργον* et reponendum pro eo *τοῦργον* apparet. Sed unde syllaba *av* fluxisse videbitur? Nimirum homo aliquis semidoctus, qui in libris veterum poetarum describendis vel emendandis operam posuerat, hiatus *σου* ante vocem *ἀληθῶς* ferri non posse ratus diphthongum exterminavit: iam vero metrum claudicare quum aut ipse aut alius animadvertisset, *ov* in margine adiecit; quod quo pertineret quum is, qui codicem Rav. exaravit, non intelligeret, cum voce *τοῦργον* coniunxit, mutato *o* in *α*, ita tamen ipse de scripturae probabilitate dubitans, ut accentum addere non auderet. Iam vero, opinor, apparebit scribendum esse:

τοῦτό γέ τοι σου ἀληθῶς τοῦργον γενναῖον καὶ φιλόδημον.

Ceterum nescio an in Rav. legatur *οὔτουργον*.

4. Haud raro scimus egregiam adolescentium postmodo clarissimorum indolem ab amicis vel praeceptoribus, quantum inde patriae decus accessurum esset, laetantibus iam mature perspectam esse et collaudatam. Sic Insiciarii iam pueri ingenium futuramque magnitudinem agnitam esse et commendatam ab aliquo popularium illorum oratorum chorus minime miratur: satis enim certa posterioris gloriae vestigia in puero latuisse: de eo, qui tam dextere et ingeniose coquos hircundinis mendacio deceperit carnemque surreptam inter nates absconderit, nihil magni et egregii expectari non potuisse: v. 428 *δῆλόν γ' ἄφ' οἷ ξυνέγνω· ὅτι ἡ πικύρκεις θ' ἤρπακῶς, καὶ κρέας ὃ πρωκτὸς εἶχεν*. At Rav. omisso θ' voci *κρέας* articulum addit: *καὶ τὸ κρέας ὃ πρωκτὸς εἶχεν*. Ex qua discrepantia apparet aliam in vetustioribus libris scripturam fuisse, eamque rectiorem, quod et articulum, quo carere vix possumus, haberet et pro copulatione sententiarum opposi-

tionem h. l. multo aptiorem inferret. Cognovit ille aliquando te Atheniensium rempublicam administraturum esse, quod periurio furti suspicionem amovere non dubitavisses et tamen illo ipso tempore carnem surreptam inter nates scite abscondidisses. Infertum est *καί*, natum fortasse ex postrema syllaba vocis *ἡρπακώς*, et addendum *δ'* post *κρέας*, quod ante articulum *ὅ* facile poterat excidere. Itaque scribendum erat:

ὅτι ἡ πτώρκεις ἡρπακώς, τὸ κρέας δ' ὁ πρωκτὸς εἶχεν.

Nempe mihi quidem hic ut sexcenties a vero aberrare videntur ii, qui obscenitates poetam captasse opinantur et verba *κρέας ὁ πρωκτὸς εἶχεν* de nescio qua foeda libidine interpretantur.

5. In Aristophane emendando illud probe tenendum esse contendo, talia additamenta, quae versuum elegantiam corrumpant atque deformant, multo saepius occurrere in vetustioribus libris quam in recentioribus. Quum enim librarii vetustiores id potissimum agerent, ut pristinam librorum formam quam accuratissime expressam posteris traderent, vel aperte corrupta cuius coniecturae probabilitati praeferentes: posteriores hoc magis spectabant, ut veterum imprimis poetarum opera quam emendatissima propagarent, multo minus fallacem novandi libidinem, quam ignorantiae speciem et opprobrium fugientes. Itaque ego quidem, ubicunque in vetustiorum librorum aliquo versum a metro laborantem invenio in recentioribus emendatum et omni impedimento liberatum, illius vestigiis insistere quam in horum inventis acquiescere et manifestas illius, si fieri possit, rimas explere, quam horum fucatam elegantiam admirari malim. Veluti v. 1346, ubi ante Dindorsium legebatur: *τί φής; τοιαῦτά μ' ἔδρων, ἐγὼ δ' οὐκ ἠσθόμην*; Dindorsius vero, quum pro *τοιαῦτα - οὐκ* meliores libri *ταυτί μ' ἔδρων, ἐγὼ δὲ τοῦτ' οὐκ* exhiberent, hac scriptura recepta *τί φής*; recte extra versum posuit. Sed pro postrema voce *ἠσθόμην* iidem libri, ex quibus illa emen-

datio fluxit, Ravennas, Venetus, tres Laurentiani, ἤδειν praebent. Quae quum ita sint, ego recentiorum librorum scripturam veram esse haud unquam crediderim; nata illa potius videtur ex coniectura librariorum perturbato versus metro succurrentium. Itaque verba Ravennatis et Veneti quam accuratissime fieri potest retinere satius erit; reliqua iam antiquitus misere depravata quam lenissime sananda sunt. Et primum quidem nescio an pronomen (ἐγώ) ex fine versus in alienam sedem migraverit: si vero reponas ταυτί μ' ἔδρων, τοῦτ' οὐκ ἤδειν ἐγώ, duae syllabae dcerunt ad versus integritatem restituendam. Iam vero librariorum sive incuria sive ignorantia oblitteratam esse illam constructionem existimaverim, de qua copiose Dobraeus disputavit ad v. 29 (δεφομέρων); praeterea excidisse videtur particula, qua optime denotata fuerit senis se ipsum paene despicientis indignatio, quod tam turpiter se decipi non senserit. Legendum igitur esse censeo:

ταυτί με δρῶντων τοῦτ' ἄρ' οὐκ ἤδειν ἐγώ;

6. Haud dissimilis huic loco est v. 1373: οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος οὐδεις ἐν ἀγορᾷ. Nam libri optimi quinque, inter quos Rav. et Venet., exhibent ἐν τᾷγορᾷ (Rav. τ' ἀγορᾷ). Praeterea vero Ravennas pro particula γ' praebet τ', et in extremo versu ordinem verborum permutat: ἐν τ' ἀγορᾷ οὐδεις. Quae omnia misere hunc versum esse perturbatum coarguunt. Iam vero propter dubiam particulae fidem, quum Ravennas τ', alii libri γ', alii δ' exhibeant, Dindorfius, in reliquis deteriorum codicum auctoritatem secutus, eam plane esse omittendam ralus crasin excogitavit satis raram ἀγοράσ-ἀγένειος: quae quidem neque iis quae ipse attulit exemplis κλαύσᾳρα (Pac. 532) οὐμῶξᾳρα (Plut. 876), neque illo quod in Ranis (509) legitur περιόψομαπέλθόντα salis videtur defendi posse. Neque magis placet, quod Hermannus proposuit: οὐδ' ἀγοράσει γ' ἀγένειος οὐδ' ἐν τᾷγορᾷ. Qui recte quidem, ut videtur, articulum retinuit, sed non recte scripsit οὐδ' ἐν τᾷγορᾷ. Quid enim ista sibi volunt: neque quis-

quam imberbis concionabitur ne in foro quidem? Quae si serio quis dicat, quum nusquam quisquam nisi in foro concionari possit, apto sensu omnino carent; sin ludenti attribuuntur, valde frigidum continent iocum. Ego quidem hic quoque ad Rav. confugiendum et ex eius scriptura id quod verum esse videatur eliciendum esse existimo. Ille vero:

οὐδ' ἀγοράσει τ' ἀγένειος ἐν τ' ἀγορᾷ οὐδεῖς.

In quibus (id quod propter literarum similitudinem facillime fieri potuit) ἀγοράσει et ἐν τἀγορᾷ sedem commutavisse opinor; quo facto initio versus οὐδέ addendum erat. Itaque si verbum ἀγοράσει suo loco, h. e. in fine versus, reposueris, habebis:

ἐν τἀγορᾷ τ' ἀγένειος οὐδεῖς ἀγοράσει.

7. Chorus, a Demosthene ad auxilium Insciaro ferendum magna voce advocatus, quum Cleon iniuste se a coniuratis verberari querens flebili lamentatione spectatorum misericordiam excitare conatus esset, indignabundus v. 258 sqq. in haec verba prorumpit:

*ἐν δίκη γ' (sc. vapulas), ἐπεὶ τὰ κοινὰ πρὶν λαχεῖν
κατεσθίεις,*

*ἀποσυνάξεις πιέζων τοὺς ὑπευθύνους σκοπῶν,
260 ὅστις αὐτῶν ὤμός ἐστιν ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων
κἂν τιν' αὐτῶν γνηῶς ἀπράγμον' ὄντα καὶ κεχηρότα,
καταγαγὼν ἐκ Χερρονήσου, διαλαβὼν, ἀγκυρίσας,
εἴτ' ἀποστρέψας τὸν ὤμον αὐτὸν ἐνεκολήβασας·
καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν,*

265 πλούσιος καὶ μὴ πονηρὸς καὶ τρέμων τὰ πράγματα.

Hos versus ita, ut vulgo leguntur, omnino ferri non posse contendo. Nam quae tandem sententia exoritur, plurimorum librorum scriptura servata? Cleo primum bona publica, antequam ea dispertiri populus iusseris devorat, deinde eos, qui muneris magistratusve gesti rationem reddunt, tanquam ficus premens examinat, quis eorum crudus sit, quis maturus, quis nondum maturus, quorum si quem animadvertit otiosum et

hiantem, e Chersoneso deducit omnibusque modis cruciatum enecat; civium denique nequissime insidiatur iis, qui ovium in morem sint stolidi, divites et viri boni, litium calumniarumque meluentes. Iam vero quaerimus primum, quomodo illud possit explicari, quod Cleo eos, qui pecuniarum publicarum munerisve gesti rationem sint reddituri, deducere arguitur ex Chersoneso. Nam pronomen *αὐτῶν* v. 260 per sententiarum nexum nusquam licet nisi ad *τοὺς ὑπευθύνους* referre. Sed illi quomodo Athenis in Chersonesum veniant possintve venire, minime apparet. Illud enim certissime scimus eos, qui publicarum pecuniarum vel magistratus gesti rationem reddebant, lege vetitos fuisse finibus Atticis excedere. Id quod diserte testatur Aeschines 3, 21: *καὶ οὕτως ἰσχυρῶς ἀπιστεῖ (ὁ νομοθέτης) τοῖς ὑπευθύνουσι, ὥστ' εὐθέως ἀρχόμενος τῶν νόμων λέγει, ἀρχὴν ὑπεύθυνον, φησί, μὴ ἀποδημεῖν. ὦ Ἡράκλεις, ὑπολάβοι ἄν τις, ὅτι ἤρξα, μὴ ἀποδημήσω; — ἵνα γε μὴ προλαβὼν χρήματα τῆς πόλεως ἢ πράξεις δρασμῶν χρήσῃ.* Quodsi *τοῖς ὑπευθύνουσι* ne brevissimam quidem peregrinationem suscipere licuit, multo minus iis licebat in Chersonesum proficisci, unde, si iniuriam fecissent patriae, facile in hostium terras possent aufugere. Neque vero quae Droysenius affert, ad scripturam librorum defendendam quidquam faciunt. Dicit enim ille eos, quos ad rationem reddendam Cleon ex Chersoneso Athenas trahat, duces esse Atheniensium, qui ibi cum imperio fuerint. At dux Atheniensis in Thraciam cum imperio profectus non prius rationem potest reddere, quam abdicato magistratu Athenas reverterit: neque ullo modo *ἀπράγμων* s. otiosus dici potest; non enim ad otium, sed ad bellum gerendum imperatores mittuntur. Et quos tandem imperatores Atheniensium illis temporibus audimus in Chersoneso fuisse *κεχηγνότας*? At, dicat aliquis, propter id ipsum, quod non bellum, sed otium persequerentur, quodque non hostibus instarent, sed ea quae gerebantur hiantes spectarent, a Cleone negligentiae suae poenas daturi Athenas trahebantur. Verum enim vero Cleo

tum non vituperandus, sed omnibus numeris laudandus erat et ab Equilibus et ab Aristophane. — Deinde vero, postquam de *ὑπευθύνοις* exposuit, quomodo cives Cleo vexaverit omnibusque iniuriis affecerit, poeta describit. Sed *οἱ ὑπεύθυνοι* nonne ipsi quoque cives sunt? Et si sunt, quomodo iis *οἱ πολῖται* tanquam alius cuiusdam gentis ac stirpis homines opponi potuerunt? — Propter has, opinor, similesque difficultates Brunckius versuum ordine immutato emendandum esse locum ratus vv. 264. 265 post v. 260 posuit, ut v. 261 versus 265 sequeretur. Et cohaerebunt quidem melius sententiae, si eius rationem probaverimus; attamen ad perfectam ut ita dicam salubritatem et sanitatem verba Aristophanis illo certe remedio reduci non poterunt. Quamquam enim pronomen *αὐτῶν* ex Brunckii ratione non ad *τοὺς ὑπευθύνους*, sed ad cives Atticos pertinet, tamen istud non minus ineptum est, quod Cleo dicitur cives Athenienses, quorum in ipsa urbe salis magnam copiam habebat, ex Chersoneso Athenas in iudicium traxisse. Quid multa? relicta quaedam in libris MSS. vestigia iam antiquitus corruptum esse locum produnt. Nam Ravennas v. 261 — quam discrepantiam Dindorfius in editione Oxoniensi praetermisit — non cum ceteris *ἀπράγμων ὄντα καὶ κεληνότα*, sed omisso participio *ἀπράγμονα καὶ κεληνότα* praebet atque ita quasi digito intento locum monstrat iam dudum librariorum socordia depravatum. Sic postquam Ravennatis auxilio uno loco vulnus sub cicatrice latens deteximus, etiam in altera eiusdem versus parte coniecturam grammatici pro genuina Aristophanis scriptura illatam reperiemus. Illud enim perquam mirum esset, si inter has gravissimas Cleonis criminationes poeta socios Atheniensium, quos ille acerrime vexabat (cf. v. 1408), plane omisisset. Qua in re non possum non mirari et scholiastarum et recentiorum quorundam interpretum incuriam, qui quamquam quid sententiae conveniret optime perspiciebant et rem ut ita dicam tantum non acu tetigerunt, tamen emendatione locum indigere non senserunt. Veluti iam scholiasta, *ὡς καταγαγότος, in-*

quit, τοὺς ξυμμαχοὺς εἰς Ἀθήνας, cum quibus cf. ea, quae Vossius ad h. v. et Leutschius in Museo Rhenano de hoc ipso loco disputaverunt. Qui, quamquam in vulgata scriptura nulla sociorum Atheniensium mentio iniicitur, tamen ad hos ipsos ea quae dicuntur referunt, coacti illi quidem ipsa rei natura, sed, ut videtur, non intelligentes se interpretatione sua in poetae verba id inferre, quod nisi emendatione adhibita in iis inesse non potest. At sine dubio pronomen αὐτῶν in v. 261 e v. 260 irrepsit oscitantis librarii negligentia, qui versum 261 descripturus ab ea voce, quam ibi invenisset, oculorum errore ad similem praecedentis versus formam delatus hanc pro illa in verborum seriem intulit, magnarum ille turbarum contentionumque auctor. Invenerat autem non αὐτῶν, sed αὐ̄, vel, ut coniecturae meae probabilitas etiam magis appareat, pro αὐτῶν γνη̄ς invenerat αὐ̄ γνη̄ς τῶν. Participium ὄντα vero a Ravennate omissum iam huius auctoritate satis monemur ut pro grammaticorum additamento habeamus; quo eiecto pro ἀπράγμονα καὶ κεχηνότα facile restituemus ἀπράγμον' ἀνακεχηνότα. Iam habemus versum octonarium trochaicum duabus syllabis privatum: quas facile ei reddideris recepto nomine ξένον. Scripsit igitur Aristophanes:

καὶ τιν' αὐ̄ γνη̄ς τῶν ξένων ἀπράγμον' ἀνακε-
χηνότα.

Iam senties, quam apte omnia cohaereant. Gradatione enim adhibita aptissima poeta nullum hominum genus a Cleone non vexari demonstrat: iis, qui rationem pecuniarum publicarum vel magistratus gesti redditori sint, minis terriculisque eum dona extorquere; socios Atheniensium omnibus contumeliis afficere et ex remotissimis regionibus, veluti e Chersoneso (qui imperii Atheniensium quasi extremus erat terminus) obtorlo collo in urbem et iudicium rapere; civibus denique ipsis, qui nullo munere administrato ab eius iniuriis tuti et securi esse videantur, nisi caute et prudenter agant, negotia facescere divitiasque eripere. Qua in gradatione recte primi com-

memorantur οἱ ὑπεύθυνοι, falsis calumniatorum criminationibus maxime obiecti; recte postremi recensentur cives, quorum eos, qui nullo publico munere gesto nullam accusationis ansam dederant, sollicitare et in discrimen vitae fortunarumve vocare audacissimae erat impudentiae; recte medii inter utrosque collocantur socii, qui quoniam difficiliorem quidem quam οἱ ὑπεύθυνοι, sed multo faciliorem reliquis civibus promittere videbantur accusationum calumniarumque successum (cf. v. 347 et quae in editione ad h. v. adnotavimus), a Cleonibus istis saepissime lacescebantur. Cf. 326. 347. Pac. 639—648.

8. Inter ea, quae Insiciarius pristina timiditate tandem deposita, ut iam in adolescentia magna ingenii in se vestigia exstilissee comprobet, Cleoni Choroque narrat, impudentissimum simul et astulissimum facinus est illud carnis furtum, quam coquis dolo surreptam natibus occultat et a se non surreptam esse periurio confirmat. In illa narratione leguntur haec (v. 418 sq.):

ἔξηπάτων γὰρ τοὺς μαγεῖρους ἐπιλέγων τοιαυτί·
σκέψασθε, παῖδες· οὐχ ὄρα ᾗ; ὦρα νέα, χελιδών.

Sic enim e libris deterioribus vulgo edunt; at Rav., Venet., duo Laurentiani: ἔξηπάτων γὰρ τοὺς μαγεῖρους λέγων τ. Quae quamquam metro repugnant, tamen deteriorum librorum scripturae longe praeferenda esse sine ulla dubitatione contendo. Nam ἐπιλέγων omni caret sensu. Non enim Insiciarius fraudi suae haec verba adiecit, sed iis verbis ipsis fallaciae eius atque praestigiae continentur. Itaque ἐπιλέγων nihil est nisi coniectura librariorum, qui ea quae manca et mutila in antiquis codicibus invenissent, sua opera supplere conarentur. Quaeritur igitur, quid restituendum sit. Qua in re illud probe tenendum est, quod Insiciarius non semel a se coquos ita deceptos esse narrat, sed solitum se esse hac fraude uti gloriatur; dicit enim ἔξηπάτων, non ἔξηπάτησα. Et v. 424: καὶ ταῦτα δρῶν ἐλάνθανόν γ'. εἰ δ' οὖν ἴδοι τις αὐτῶν, ἀποκρυπτόμενος εἰς τὸ κοχώνα τοὺς θεοὺς ἀπώμηνν. Contra rhetor ille, qui semel istud optimaec spei adolescentis artifi-

cium conspexerat, *εἶπε*, non *ἔλεγεν· οὐκ ἔσθ' ὅπως κτλ.* Quapropter quum Insiciarius non temere, sed certa quadam lege et ordine hoc dolo usus fuerit, nihil est veri similis, quam excidisse vocabulum, quo, quando et qua anni parte coquos ita decipere consuevisset, indicaretur. Utebatur vero ille sua fraude procul dubio quotannis vere appropinquante; alio enim anni tempore totum eius commentum nemo credidisset. Itaque legendum censeo:

ἔξηπάτων γὰρ τοὺς μαγείρους ἤρι λέγων τοιαυτί.

Quamquam enim pedestris orationis scriptores dativo temporis nisi adiuncto adiectivo non utuntur (cf. Krüg. 48, 2, 6), sed aut genitivum aut dativum cum praepositione *ἐν* ponunt (*ἤρος, ἐν τῷ ἤρι*), apud poetas etiam solus dativus interdum occurrit. In eo vero non haerendum esse existimo, quod Insiciarius non ipso vere, sed ante veris initium, ante hirundinem primam coquos illa fraude deceperit. Notissimum enim est, *ἔαρ* et *θέρους* non solum ver vel aestatem ipsam, sed etiam tempus proxime et antecedens et consequens designare: neque ita multo ante veris initium dolo suo uti poterat, quippe cui media hieme nemo fidem habuisset.

9. Populo artibus coquinariis in pristinum iuventutis vigorem restituto Insiciarius exponit, quam stolidè antea Cleone summum imperium tenente oratoribus optima suadentibus succensuerit, pessimis et ineptissimis consiliis obtemperaverit. V. 1350 sqq.:

*καὶ νῆ Δ', εἴ γε δύο λεγοίτην ῥήτορε,
ὁ μὲν ποιέσθαι ναῦς μακράς, ὁ δ' ἕτερος αὐ
καταμισθοροῦσσι, τοῦτον ὁ τὸν μισθὸν λέγων
τὸν τὰς τριήρεις παραδραμῶν ἂν ᾤχετο.*

De ceteris huius loci difficultatibus et de librorum dissensione in v. 1351 hic nihil dicam; illud tantum moneo, pro verbis *καταμισθοροῦσσι, τοῦτον* Laurentianos duos exhibere *καταμισθοροῦσσι τοῦτο θ'*, Parisinum regium 2712 *τοῦθ'*, quod etiam in Parisino 2715 superscriptum est; Rav. vero *τούτων*. Ex Laurentianorum et Parisinorum codicum scriptura Dindor-

fius effinxit *καταμισθοφορῆσαι τοῦθ'*, ὁ τὸν μισθὸν λέγων, τοῦτο eam esse explicans pecuniam, quam alter orator navibus aedificandis destinaverit. Sed quum Rav. habeat *τούτων*, ex quo *τούτων* sola pronunciationis ambiguitate ortum esse contenderim, idque aptissime ad duos illos oratores referatur, id quod saepissime factum est, confusa inter se pronomina demonstrativa quae dicunt existimo et reponendum esse:

καταμισθοφορῆσαι, τῶν δ' (sc. *τῶν ἐητόρων*) ὁ τὸν μ. λ.

10. Quae ratio intercedat inter librum Ravennatem et Venetum, qui illius praestantiam haud raro aequare videtur, alio loco, si deo placebit, exponam. Quaestio enim est subdifficilis et obscura, ad quam is demum accurate respondere poterit, qui per omnes Aristophanis fabulas pari assiduitate et diligentia et similitudines et discrepantias scripturae pervestigaverit. Unum iam superiore anno monui, Venetum videri descriptum esse aut ex Ravennate ipso aut ex eo libro, ex quo etiam Ravennas originem acceperit, aliquot tamen locis tam insignem exhibere lectionis diversitatem, ut ea ex aliis quibusdam libris, non multo recentioribus Ravennate, forsitan etiam vetustioribus, hausta esse videatur. Cuius rei documenta satis multa inveniuntur in aliis comoediis; in *Equilibris* non desunt quidem, sed rarius occurrunt. Veluti v. 1158 quam ego recepi Porsoni coniecturam (*εἴσομ', ἣν φράσης γε σὺ*), illa aut orta est ex codicis Veneti scriptura, aut certe ea egregie stabilitur. Neque minus quod recepi v. 1018 *λάσκων* (pro *χάσκων*) libro Veneto debetur (*γρ. λάσκων*). Sic etiam v. 711 eius auctoritatem sequendam esse putavi. Quod enim ille ibi pro vulgatis *καὶ διαβαλῶ πλείονα* exhibet: *καὶ διαβαλῶ γε πλείονα*, eo non satis bene usus esse videtur Bergkiius, quum coniecit scribendum esse: *κἀγὼ δέ σ' ἐλῶ καὶ διαβαλῶ γε πλείονα*. Nam quum Cleo dixisset: *ἔλξω σε πρὸς τὸν δῆμον*, Insciarus, idem se quoque facturum esse dicturus idem verbum (*ἔλξω*) repetere, non aliud in eius locum inferre debebat: quapropter *ἔλξω* omnino retinendum est. Mihi quidem *γέ* Veneti ortum esse videtur ex particula

τέ, qua sublata καὶ addiderunt librarii. Itaque Aristophanes scripsit:

κἀγὼ δέ σ' ἔλξω διαβαλῶ τε πλείονα.

11. Obtundit paene spectantium et animos et aures Cleo fastidiumque et nauseam movet semper memoriam repetens eorum quae ad Pylum gesserit: imprimis vero audaciam et fortitudinem suam magna cum ostentatione opponit reliquorum imperatorum ignaviae, qui, quum idem perficere et debuerint et potuerint, tamen cunctantes, haesitantes, trepidantes tam egregiam optime de patria merendi occasionem praetermiserint. Sic summae sibi semper laudi fore gloriatur (v. 742),

ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποδραμῶν τῶν ἐκ Πύλου

πλεύσας ἐκέϊσε τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.

Quae quamquam quo spectarent nemo poterat dubitare, tamen omni ratione grammatica ita carent, ut viri docti alii aliter locum corruptum sanare studuerint. Itaque Demosthenem a Cleone supplantatum esse memores τῶν στρ. ὑπ. τοὺς ἐκ Πύλου, vel τῶν στρ. ὑπ. τὸν ἐκ Πύλου, vel τὸν στρατηγὸν ὑποδραμῶν τὸν ἐκ Πύλου edi iusserunt, non animadvertentes illi inepte utique dici Demosthenem τῶν στρατηγῶν vel τὸν στρατηγὸν τὸν ἐκ Πύλου. Nam et attractionem illam quam dicunt (cf. Krüg. 50, 8, 14) hic adhiberi non posse quivis facile intelliget, neque ea ratio, qua Kruegerus (50, 8, 16) scripturam τῶν στρατηγῶν ὑποδρ. τοὺς ἐκ Πύλου defendi posse opinatur, accuratius quaerentibus probabilis videbitur. Ut enim Demosthenes, postquam Athenas rediit, dici potuerit ὁ ἐκ Πύλου, sc. ἐπανελθών, ridiculum est putare sic eum dici potuisse eo tempore, quo Cleo summum earum quae ad Pylum erant copiarum imperium susceperat. Itaque Cleo gloriari non poterat se eo qui a Pylo rediisset duce supplantato Pylum navigasse et Lacedaemonios inde Athenas deduxisse: quod tum demum verum esset, si Demosthenes, antequam Cleo Pylum venisset, Athenas revertisset. Quocirca Brunckius etiam longius a librorum scriptura recedens coniecit: ὅτι τοὺς στρατηγούς ὑποδραμῶν τοὺς ἐν Πύλῳ: alii τοὺς

ἐκ Πύλου ad τοὺς Λάκωνας referentes scripserunt: ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποδραμῶν, τοὺς ἐκ Πύλου, τοὺς Λάκωνας ἤγαγον. Et hi quidem omnes, quantum a librorum MSS. verbis recesserunt, tantum mihi videntur a vero aberrasse: reclam primus, quod iure mireris, emendandi viam iniit, sed, quod non mireris, non satis accurate persecutus est Invernizzius, ex codice Rav., qui, si illi fides (nam Bekkerus de hoc loco tacet), ὑποδραμωντων, exhibet, restituens ὑποδραμόντων. Quam emendationem ipse quoque, sed non recte, ut videtur, emendavit C. F. Hermannus, qui proposuit legendum esse: τῶν στρατηγῶν ἀποδραμόντων ἐκ Πύλου, rem a Cleone in adversariorum obtreclationem auclam et in maius elatam esse existimans. Attamen haec, quum Athenienses omnes Demosthenem rei ad Pylum gestae non solum interfuisse, sed etiam illam suo potissimum consilio et auxilio ad finem perduxisse optime scirent, haec, inquam, nimia profecto esset et omnem modum excedens veritatis traiectio. Multo faciliore remedio ego quod Aristophanes scripsit restituere posse mihi videor:

ὅτι τῶν στρατηγῶν ὑποτρεμόντων, ἐκ Πύλου
πλεύσας ἐκέϊσε τοὺς Λάκωνας ἤγαγον.

Scilicet iam non Demosthenem, cuius virtutem in ipsa Pylica expeditione probatam nemo non noverat, sed Niciae non minus notam ignaviam et tergiversationem Cleo perstringit. Glorietur enim timide cunctante Nicia, quem a populo praetorem creatum Demostheni auxilium ferre decebat, se ex Pylo, cum navibus illuc profectum, Lacedaemonios captivos Athenas deportavisse. Haec vero cum iis, quae et Thucydides et alii scriptores de eadem re narrant, tam accurate congruunt, ut hac demum emendatione facta Aristophanis verbis integritas simul et planissima perspicuitas reddita esse videatur. Confirmatur illa egregie a Thucydide ipso, qui 4, 27: καὶ ἐς Νικίαν, inquit, στρατηγὸν ὄντα ἀπεσήμαινεν (Cleo), ἐχθρὸς ὢν καὶ ἐπιμῶν, ῥᾶδιον εἶναι παρασκευῆ, εἰ ἄνδρες εἶεν οἱ στρατηγοί (hic quoque numerum habes pluralem), πλεύσαντας λαβεῖν τοὺς ἐν τῇ νήσῳ, καὶ αὐ-

τός γ' ἄν, εἰ ἦρχεν (si imperator esset), ποιῆσαι τοῦτο. Niciam vero illo tempore etiam iis, qui Pylum occupaverant, praefuisse quum ex illo loco, tum ex capite proximo (4, 28) apparet: αὐθις ὁ Νικίας ἐκέλευε καὶ ἐξίστατο τῆς ἐπὶ Πύλῳ ἀρχῆς. Demosthenes enim initio certe sine imperio classi in Siciliam missae additus postea Pylo munita et Sphacteria occupata legati ut ita dicam vices videtur obtinuisse. Ceterum Athenienses et tunc et captis Lacedaemoniis non minus inique quam Cleonem ipsum de Niciae ignavia cogitavisse discrete narrat Plut. Nic. 8.

12. Non solum voces singulas, sed etiam totos versus in Aristophanis quoque fabulis interdum interpolatos esse satis certis exemplis demonstrari potest. Qua in re vetustiorum codicum auctoritas non spernenda, sed multo pluris facienda est quam recentiorum, ab imperitis librariis passim depravatorum. In Equitibus quo iure viri docti v. 114 et 339 in dubium vocaverint, non est huius loci exponere; nemo vero adhuc v. 215, quamquam in libro Rav. omittitur, in suspicionem adduxit. Attamen, si quid video, optimo iure omittitur. Quum enim planissime haec procedant: Fac res publicas misceas ac farcias, condiens verborum coquinariorum dulcedine, moleste haec intruduntur: Fac res publicas misceas ac farcias omnes, et plebem tibi concilies condiens s. demulcens verborum coquinariorum dulcedine. Sic enim interrumpitur ut ita dicam et obscuratur inchoata translatio, quae, si v. 215 omittas, grato quodam et aequabili tenore decurrit. Praeterea vero explicatio verbi ὑπογλυκαίνων, si Ravennatis auctoritatem reiiciamus, haud exiguam habet difficultatem. Nam sive obiectum quod dicunt verbi statueris esse τὸν δῆμον, h. e. demulcens plebem, hanc significationem magnopere dubito an ὑπογλυκαίνειν nunquam admittat: exemplum certe idoneum reperire non potui. Sive ad participium ὑπογλυκαίνων retuleris τὰ πράγματα (plebem factam, condiens res publicas verborum coqui-

nariorum dulcedine), offendit animum verborum, quae divelli non posse videantur, toto versu interposito nimis incommoda distractio. Sive denique cum nonnullis contenderis ludere poetam in verbis *δημόν* et *δήμον* (cf. Vesp. 40 sq. Eq. 954), ut haec sit sententia: cura adipem semper adicias et condias verbis coquinariis, magnopere limo, ne verbum medium *προσποιεῖσθαι* vim adiciendi habere non possit. Itaque sive hanc sive illam interpretationem probaveris, aptius sine dubio sententia cohaerebit v. 215 omisso.

13. Numeris non solum apud Babylonios et Chaldaeos magnus fuit honos: habent illi apud philologos quoque et grammaticos suum pondus ac momentum; ut etiam, ubi rationes eorum non satis dilucide percipi et intelligi possint, tamen secreta quaedam et arcana in iis vis inesse videatur. Sic saepissime miror, quomodo tandem factum sit, ut epirrhemata in comoediis Aristophaneis semper et sine ulla exceptione certo quodam numero circumscripta inveniantur. Quae res iam veterum grammaticorum mentem diligentiamque advertit: veluti Anonymus quidam (cf. Schol. Arist. ed. Dübner. p. XVII n. VII) illud recte observavit, epirrhemata comoediarum plerumque contineri versibus senis denis. Et sic quoque auctor commentationis *περὶ κομωδίας*, quam ex codice Parisino edidit Cramerus in *Anecd. Paris.* vol. I, p. 3 sqq., apud Duebnerum p. XX, lin. 18. 19: (*ὁ χορὸς*) *ἐκ τετραμέτρου δεκαῆξι στίχους ἀναπαίστους (?) ἐφθέγγετο, καὶ τοῦτο ἐκαλεῖτο στροφή. εἶτα ἑτέρους τοιούτους ἐφθέγγετο, καὶ ἐκαλεῖτο ἀντίστροφος, ἅπερ ἀμρότερα οἱ παλαιοὶ ἐπίρρημα ἔλεγον* quae quamquam magnam partem perversa mirum in modum et confusa sunt, tamen id de quo loquimur aperte confirmant. Eademque, in iambos tantummodo quos dicit technicos redacta, Tzetzes docet *ibid.* p. XXV, X c, 27. Atque rectissime profecto grammatici, nisi quod alteram tantum partem epirrhematum respexerunt: nam non solum senis denis, sed etiam vicenis versibus interdum epirrhemata continentur;

ut, si alteram Vesparum parabasin exceperis, quae vix ac ne vix quidem iusta appellari potest parabasis, nullum usquam apud Aristophanem legatur epirrhema, quod non aut quater aut quinquies quaternos versus complectatur. Sed, quod etiam magis mireris, sunt etiam parabases quae proprie dicuntur nonnullae, in quibus numerus ille quaternarius dominari videatur. Nam parabasis anapaestica Vesparum ex novies quaternis, Ranarum, si versibus 354—371 vv. 382. 383 adicias, ex quinquies quaternis, Pacis, si versum trochaicum anapaestis admixtum numeres, ex novies quaternis constat versibus. Quamquam in Pacis quidem parabasi non pauca videntur turbata esse et interpolata. Neque ab hac ratione abhorre videtur parabasis Thesmophoriazusarum. Continetur illa quidem versibus undetriginta; sed sine ulla dubitatione ausim affirmare levi interpolatione eam esse deformatam. Lege enim, si placet, v. 799 sqq.

οὕτως ἡμεῖς ἐπιδήλως

ὑμῶν ἐσμεν πολὺ βελτίους· βάσανος δὲ πάρεστιν ἰδέσθαι.

βάσανον δῶμεν, πότεροι χεῖρους· ἡμεῖς μὲν γὰρ

φάμεν ὑμᾶς,

ὑμεῖς δ' ἡμᾶς· σκεψώμεθα δὴ κἀντιτιθῶμεν πρὸς

ἕκαστον,

παραβάλλουσαι τῆς τε γυναικὸς καὶ τἀνδρὸς τοῦνομ'

ἕκαστον.

In quibus mire offendit molesta eiusdem sententiae iteratio: βάσανος δὲ πάρεστιν ἰδέσθαι et βάσανον δῶμεν, offendit, quod post verba ἡμεῖς ἐπιδήλως ὑμῶν ἐσμεν πολὺ βελτίους poeta necessarium duxerit addere: ἡμεῖς μὲν γὰρ φάμεν ὑμᾶς (χεῖρους εἶναι), ὑμεῖς δ' ἡμᾶς. Confiteberis certe simplicissimam et aptissimam superesse sententiam, si omissis iis verbis, quae subdita esse videantur, reponas:

οὕτως ἡμεῖς ἐπιδήλως

ὑμῶν ἐσμεν πολὺ βελτίους· βάσανος δὲ πάρεστιν ἰδέσθαι,

πότεροι χεῖρους· σκεψώμεθα δὴ κἀντιτιθῶμεν

πρὸς ἕκαστον κτλ.

Quae si recte restituimus, habemus parabasin septies quaternorum versuum.

Difficilior est quaestio de Equitum parabasi anapaestica, quae quamquam primo adpectu illam de quaternarii numeri ratione opinionem magnopere videtur confirmare, tamen ita est comparata, ut, nisi accuratius consideretur, cum ea non possit conciliari. Continetur enim illa quidem, ut hodie legitur, versibus quadraginta, h. e. decies quaternis; antiquitus vero versus non quadraginta, sed quadraginta unum complectebatur, teste scholiasta, qui ad v. 507: *εἰςθεις*, inquit, *εἰς ἀντὴν τὴν παράβασιν* (h. e. in eam quae proprie dicitur parabasin). *ἀναπαιστικοὶ στίχοι καταληκτικοὶ τετράμετροι μα'.* Et haec quidem optime cum iis congruunt, quae G. Hermannus de commatii praecedentis natura atque indole disputavit. Habet illud hodie duos versus paroemiacos (502. 506); finitur vero aptissime sententia v. 502, et quae sequuntur, quamquam non omnino subdita videntur, tamen apertissime sunt interpolata; nam extrema ista: *ὦ παντοίας ἤδη Μούσης περιθέντες καθ' ἑαυτοὺς* nullam satis aptam admittere videntur interpretationem. Quae quum ita sint, omnino probandam esse existimo Hermannii sententiam, qui ex versibus 503.504, eiectis 505. 506, unum confecit tetrametrum anapaesticum:

ἡμεῖς δ' ἡμῶν πρόσχετε τὸν νοῦν καὶ τοῖς ἡμῶν ἀναπαίστοις.

Hoc versu addito illis quadraginta tetrametris, ex quibus hodie constat parabasis, iam habemus numerum, quem scholiasta tradidit. At etiamne Aristophanis temporibus ita fuerit, magnopere dubito. Iure G. Hermannus in versibus 524. 525 nimiam verborum idem significantium abundantiam vituperavit: quis enim ab Aristophane profecta esse crediderit haecce:

*καὶ λυδίζων καὶ ψηνίζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις
οὐκ ἐξήρκεσεν, ἀλλὰ τελευτῶν ἐπὶ γήρωας,
οὐ γὰρ ἐφ' ἡβης,
ἐξ εβλήθη πρεσβύτης ὦν, ὅτι τοῦ σκώπτειν
ἀπελείφθη.*

Itaque Hermannus, ut tumore isto immodice turgescenti re-

secto locum sanaret et Aristophani pristinum nitorem restitueret, omissis iis, quae moleste a grammaticis illata viderentur, ita scribendum esse censuit:

*καὶ λυδίζων καὶ ψηγιζων καὶ βαπτόμενος βατραχείοις
οὐκ ἐξήρκεσε πρεσβύτης ὦν κτλ.*

Nescio vero an simplicius sit eiecto v. 524 scribere:

*καὶ λυδίζων καὶ ψηγιζων καὶ βαπτόμενος βά-
τραχείοις
ἐξεβλήθη πρεσβύτης ὦν, κτλ.*

Quae si recte disputata sunt, rursus habemus numerum versusum decies quaternorum. Attamen monere velim, ne quis haec in eam sententiam dicta esse existimet, tanquam ego iam omnes parabases ad illam quaternarii numeri regulam examinandas et exigendas esse arbitrer. De qua re longe aliter statuo: ubicunque enim non sua sponte et libere, ut ita dicam, omnia ad illam accommodari possunt, ab omni violenta mutatione abstinendum esse censeo.

14. Lacunae librariorum socordia ortae quamquam in iis quae supersunt Aristophanis comoediis neque magnae sunt et raro occurrunt, tamen interdum haud parvas interpreti auferunt difficultates. Etiam in Equilibus aliquot loci inveniuntur, in quibus quum singuli versus aut verba nonnulla intercederint, difficile est reperire, quo mutilam sententiam expleamus. Et in plurimis quidem huius generis locis ea quae probabiliter restitui non possunt irritò labore quaerere et incertis temerariisque coniecturis immorari nihil aliud est quam oleum atque operam perdere; semel vero id quod Aristophanes scripsit certis quibusdam vestigiis adiutus indagavisse mihi videor. Quae inter dimetros iambicos leguntur (v. 442) *φένξει γραφὰς ἑκατονταλάντους τέτταρας*, quasi quaedam reliquiae sunt duorum versiculorum, quorum alterius totum dimidium periit. Nam in systemate iambico versibus quaternariis interpositum esse senarium, et interpositum esse statim initio systematis, quis tandem credat? Praeterea autem accusatio ista, qua Cleon Insciarium petit, admodum incerta est

et vaga et ut ita dicam fluctuare quodammodo videtur: quum enim in hoc nobili nobilissimorum virorum certamine alioquin semper accuratissime adiiciatur, quo alter alterum crimine arcessiturus sit, hic Cleo nihil nisi quatuor actiones se in Insiciarium esse institutum minatur; criminis nomen non addit. Id quod eo magis offendit, quod Insiciarius ei respondens Cleonem ἀστρατείας reum fore pronuntiat. Itaque illud ipsum criminis nomen, cuius Cleon adversarium accusaturus est, hic excidisse et sententiae et versus indicio apparet. Iam quum supplere quod perierat conarer, facile mihi persuasi aptissimam esse totius loci naturae criminis commemorationem, quod cum ἀστρατείας crimine quam arctissime cohaereret. Dubitans tamen, quid potissimum reponerem, forte incidi in fragmentum aliquod Aristophanis a solo quod sciam Dindorfio in editione Oxoniensi (1835) T. II, p. 704 n. 728 servatum, ubi vir doctus: „Choeroboscus MS. in Museo philol. Cantabr. IV. p. 115: λιποτάξιον (διὰ τοῦ ι) παρ' Ἀριστοφάνει.“ Quod ad locum de quo agimus tam accommodatum videtur, ut paene ex eo petitum esse existimem. Itaque non dubitavi scribere:

λιποτάξιον φεύξει γραφὰς
ἑκατονταλάντους τέτταρας.

Ad quae cum gradatione comica Insiciarius:

σὺ δ' ἀστρατείας γ' εἴκοσιν,
κλοπῆς δὲ πλεῖν ἢ χιλίας.

Nam quod admodum ridicule Cleon Insiciarium, hominem miserrimum, bellicae virtutis et fortitudinis adeo expertem, ut certo nunquam militaverit, ignaviae et ut ita dicam proditionis accusaturum se esse dicit, id tantum abest ut coniecturae nostrae officiat, ut eam maxime commendet. Nam non minus ridiculae omnique iusta caussa destitutae reliquae sunt criminationes, quas exacerbati isti gallorum instar adversarii inter se iaculantur, et multo magis ridicule Insiciarius Cleonem, qui paullo ante victor et tantum non triumphator a Pylo redierat, ἀστρατείας reum fore minatur. Cf. etiam v. 368.

15. Ante v. 274 integrum excidisse tetrametrum trochaicum optime Sauppis, quem secutus est Bergk, ex turbata numerorum aequabilitate in Ep. crit. ad G. Hermannum p. 116 demonstravit, cuius sensum suspicatur fere eundem fuisse ac v. 269: *ὡς ἀλαζών, ὡς δὲ μάσθλης; εἶδες οἷ' ὑπέρχεται;* Quod si concedas, quamquam difficillimum est dicere, quae verba perierint, et quo particula *καί*, quae hodie non habet quo referatur, pertineat, tamen confidenter affirmaverim, in v. 274 *ὡσπερ* leviter corruptum esse. Quae enim potest alia huius loci sententia esse, nisi haec: Rursus igitur ab illa simulata adulatione (266 sqq.) ad convicia et verborum contumelias reverteris *καὶ κέκραγας, non ὡσπερ αἰεὶ τὴν πόλιν καταστρέφει*, sed:

καὶ κέκραγας, ᾧ περ αἰεὶ τὴν πόλιν καταστρέφει;

Rursus conviciis et isto tuo clamore uteris, quo semper civium aures obtundis animosque subigis.

16. Quum saepissime acciderit, ut librarii exemplorum suorum verba propter singularum literarum ambiguitatem minus recte intelligentes coniectura quae non erissent supplementent, tum potissimum id accidisse probabile est in margine paginarum, ubi vel crebriore usu vel humore aliquo vel alio damno literae attritae essent vel etiam omnino obscuratae. Huius depravationis ut in Equitibus aliquot exempla mihi videor detexisse, ita in Nubibus locum quendam corruptum remansisse existimo, qui, nisi hoc interpolationis genus perspexeris, vix sanari posse videatur. Aristophanes enim Nub. v. 528 sqq. inde a primis artis suae rudimentis usque ad illud tempus, quo Nubes doctae sint, semper se in Atheniensium prudentia atque urbanitate spem suam et fiduciam posuisse declaraturus,

ἐξ ὅτου γάρ, inquit, ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷς ἡδὺ καὶ λέγειν,

ὁ σῶφρων τε χῶ καταπύγων ἄριστ' ἠκουσάτην,

ἐκ τούτου μοι πιστὰ παρ' ὑμῶν γνώμης ἐσθ' ὄρχια.

In quibus nunquam satis intellexi, quales essent homines, οἷς

ἡδὺ καὶ λέγειν. Nam homines, quibuscum colloqui dulce et gratum est, Graecis sunt ἄνδρες, οἷς ἡδὺ διαλέγεσθαι; et ineptum istud καὶ (homines, quibus vel dicere tantummodo s. etiam dicere gratum est) aut perversam aut nullam habet explicationem. Dubium autem non est, quin huiusmodi sententia illo loco desideretur. Ex quo tempore prima mea fabula iudicio virorum, quibus iustitia et probitas cordi est, secundo praemio ornata est, in vestra sapientia et ingenii subtilitate spem meam ponere nunquam desii. Nam ut iustissime Dae-talenses secundo praemio ornata sit, ita iniuste Nubes suas improbatas esse et repudiatas contendit. Et profecto ἡδὺ καὶ, praesertim si posteriorum saeculorum pronuntiationis memineris, vix differre concedes ab ἡ δίκη, ut ab eo, qui dictantis verba calamo exciperet, facile hoc cum illo potuerit confundi; exitus vero versus ea quam modo indicavi ratione interpolatus est, depravatis et obscuratis temporum iniuria literis genuinis et pro iis quae non satis intelligerentur librariorum commento in verborum seriem recepto. Si igitur pro λέγειν legas μέλει, omnia bene se habebunt: nam verba οἷς ἡ δίκη μέλει neque a sensu neque a dictione vituperari poterunt: quamquam enim μέλει μοί τι rarius invenitur quam μέλει μοί τινος, tamen non inusitatum est. Sed mihi οἷς ἡ potius ortum videtur ex οἷσι, cui si metri sublevandi causa addideris ν ἐφελκυστικόν, quod in antiquissimis libris, imprimis vero in Rav., sexcenties omittitur, haec habebis:

ἔξ ὅτου γὰρ ἐνθάδ' ὑπ' ἀνδρῶν, οἷσιν δίκης μέ-
λει, κτλ.

17. Eadem fere ratione in Equitibus haud ita pauci loci videntur depravati esse: veluti v. 1336, ubi G. Hermannus contra Dobraeum, Elmsleium, Reisigium (de adverbii ἔσω significatione dubitantes) pro ἀγάθ' ἀφεψήσας. ΑΓΟΡΑΚΡ. ἐγώ; verissime reposuisse videtur ἀφεψήσας ἔσω; deinde v. 536, ubi Elmsleius (ad Ach. 1086) παρὰ τῷ Διονύσῳ commutavit in id quod nos quoque in editione receperimus: παρὰ

τῷ Διονύσου (sc. ἱερεῖ). Quae vero superstilio tanta esse potest, ut quisquam versum 276 ab Aristophane ita scriptum esse credat, ut hodie legitur:

ἀλλ' ἐὰν μὲν τόνδε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλος εἶ.

Τήνελλα καλλίνικος est nota illa acclamatio, qua eum qui ludis publicis victoriam reportaverat prosequabantur, consuetudine introducta ab Archilocho, qui voce *τήνελλα* citharae impulsae sonum imitabatur. At hac voce quis unquam credat quemquam veterum poetarum ita abusum esse, ut inde nomen adiectivum plane barbarum *τήνελλος* effingeret. Et ut recte illud a *τήνελλα* formatum sit, quae tandem ratio est cur credamus significari eo virum, qui dignus illa acclamatione, dignus triumpho videatur? Neque multo melius mihi quidem id videtur quod Porsonus proposuit: *τήνελλ' ἔσει*. Etiam si enim recte adiectivum *τήνελλος* ferri non posse intellexit, in eo sine dubio erravit, quod vocem *τήνελλα* praedicali quod dicunt vice fungi posse existimavit. Fingamus nostratium aliquem poetarum cecinisse: Du bist ein Hurrah, vel: Du bist ein Heil dir im Siegeskranz; nemo profecto erit, qui non dementiae et extremae fatuitatis hominem condemnaverit; et talia apud Aristophanem ferri posse credemus? Equidem vocem *τήνελλα* ab Archilocho inventam omnino retinendam neque ullo modo commutandam esse censeo. Quum vero illam ita adhibitam reperiamus, ut aut in fine carminis triumphalis cum *καλλίνικος* coniungatur (cf. nos in edit. et Ach. 1227. 1228. 1230. 1231. Av. 1764), aut *τήνελλα καλλίνικον ᾄδειν τινά* aliquis dicatur (cf. fin. Ach.), duplex quasi monstratur via emendandi. Aut enim scribere poterimus: *τήνελλά σε* (sc. ᾄσόμεθα), aut, quod ego et simplicius et ad librorum scripturam accommodatius esse existimo:

ἀλλ' ἐὰν μὲν τόνδε νικᾷς τῇ βοῇ, τήνελλά σοι (sc. ὀφείλεται)

At profecto, hunc (Insciarium) si clamore viceris, sollemnis illa acclamatio: „Io Triumphe“ tibi debetur.

18. Duo sunt in Equitibus loci, qui in hoc ipso de quo loquimur genere artiozem quandam et propriam inter se habent cognationem.

v. 312 sq. ὄστις ἡμῶν τὰς Ἀθήνας ἐκκεκώφρηκας βοῶν
κἀπὸ τῶν πετρῶν ἄνωθεν τοὺς φόρους θυν-
νοσκοπῶν.

v. 892: οὐκ ἐς κόρακας ἀποφθερεῖ, βύρσης κάκιστον
ὄζων;

In utroque versu participium ferri non posse contenderim. Ut enim a priore incipiamus, quid perversius esse potest quam dicere Cleonem surdas Athenas fecisse diligenter observantem vectigalia et tributa sociorum. Acie nimirum oculorum intenta nemo unquam surdus factus est. Itaque vulgata scriptura, nisi zeugma durissimum statueris, explicari non potest: Surdas nobis fecisti Athenas clamore tuo et omni modo defraudavisti tributa sociorum surripiens. Neque minus inepte v. 892 Populus Cleonem, qui mastruca oblata domini gratiam sibi se conciliaturum esse speraverat, in malam crucem abire iubet his verbis: οὐκ ἀποφθερεῖ, βύρσης ὄζων; Nam Cleo iam diu et semper, ex quo rempublicam capessiverat, coria male olebat: quod si Populo ingratum erat, iam dudum ille removendus fuerat. At non Cleonis, cuius foetori ita assueverat, ut eam iam non sentiret, sed mastrucæ oblatae intolerabilis odor Populum enecat; quocirca Cleonem cum dono suo in malam crucem abire iubet, ne illius vaporem afflatumque naribus captare cogatur. Itaque uterque versus eodem modo videtur sanandus esse: in priore enim restituendum est θυννοσκοπεῖς, in posteriore οὐκ ἐς κ. ἀποφθερεῖ; βύρσ. κ. ὄζει (sc. τὸ ἰμάτιον).

19. Falstaffium illum Graecorum, Cleonymum dico, non Teuffelium, qui est Tubingensium, festive ut in multis aliis fabulis, ita in Equitibus quoque derisit Aristophanes sive quisquis praeclaram illam alterius parabaseos partem composuit, qua egregius ille profundissimæ gulæ nebulo et voracissimus

alienae penus gurgis perstringitur. Namque ubi semel in cel-
lam penetraverit promptuariam hominis divitis atque opulenti,
nunquam eum exire sed usque devorare quidquid ibi in-
veniat,

τοὺς δ' ἀντιβόλεϊν ἄν' ὁμοίως·

ἴθ', ὦ ἄνα, πρὸς γονάτων, ἔξελαθε καὶ σίγγνωθι τῇ
τραπέζῃ.

In quibus adverbium *ὁμοίως* nescio quo pacto intelligendum
sit, et magnopere vereor, ne hic quoque id quod Aristophanes
scripsit in margine paginae atrilium et obscuratum postea
paullatim in ineptum istud *ὁμοίως* commutatum sit. Consulue-
ris certe sententiae, si pro *ἄν' ὁμοίως* legeris *ἀνονήτως*.
Cleonymus enim aliena devorare nunquam desinit; at illi, quo-
rum cellas exhaurit opesque absorbet, omnibus precibus orant
obsecrantque, ut rei suae parcat; sed frustra: nunquam enim
prius desistit, quam omnia comederit.

20. Suavissime Aristophanes, ut et suum in Cleonem
odium declaret et Cratini vinolentiam exagitet, duo parietes,
ut Curii verbis utar, de eadem fidelia dealbaturus, Cratini se
stragulum esse malle, quod ille unaquaque nocte urina con-
taminet, quam odium Cleonis deponere dicit v. 400: dubi-
tari enim non potest, quin poetae ipsius sententiam Equites
pronuncient:

εἴ σε μὴ μισῶ, γενοίμην ἐν Κρατίνου κώδιον.

ἐν ex scholiasta (explicante: εἰς τὴν οἰκίαν Κρατίνου) in
prioribus editionibus Dindorfius; libri *ἐν* praeter Laurentianos
duo, qui *ἄν* praebent. Et *ἐν* quidem commendatum ab Her-
manno plurimi editores, in iis etiam Dindorfius, receperunt;
non bene mea quidem sententia. Nam quae tandem ista est
optatio, ut unum fiat Cratini stragulum, quum omnino di-
cendum fuerit: Fiam aliquod vel quodvis Cratini stra-
gulum! Defenditur quidem *ἐν* a Dindorfio loco Thucydidis 4,
50, cuius tamen loci natura nonnihil a nostro differt; defen-
ditur etiam a Bothio, qui ridicule dictum esse *ἐν* contendit,
quasi non plus uno vellere habuerit Cratinus, cui immeieret.

At vereor, ne hoc potius a Bothio nimis ridicule sit disputatum. Ego conicio legendum esse:

γενοίμην τῶν Κρατίνου κώδιον,

h. e. κώδιον τῶν Κρατίνου κωδίον. cf. fragm. 84: *φέρε κνέφαλλον ἄμα καὶ προσκεφάλαιον τῶν λινῶν.*

21. Quod modo diximus derideri ab Aristophane Cratinum, id cave ita interpreteris, tanquam inimici fuerint et perpetuo implacabilique alter alterius odio flagraverit. Longe enim secus est. Perstringitur quidem propter nimiam interdum vinolentiam ab Aristophane Cratinus, sed, quamquam inter se aemulabantur neque fere praeter eos quisquam erat, qui artis comicae palmam suo quodam iure vindicare posset, tamen ita perstringitur, ut facile hominem poetae admodum placuisse neque unquam hunc nisi magno cum gaudio magnaque cum admiratione et vivi et mortui eius meminisse appareat. Sic eundem, quem antea leviter vituperaverat, summis extollit laudibus in parabasi, v. 526 sqq.:

*Κρατίνου μνημμένος, ὃς πολλῶ ῥέεσας πότ' ἐπαίνῳ
διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίῳ ἔρρει.*

In his participium *ῥέεσας* ferri omnino non posse existimo. Ut de forma taceam, de qua statim dicam, iam propter verbum *ἔρρει* paullo post iteratum poeta illo uti non potuit. Quis enim haec feret dicentem: multa cum laude fluens per campos fluebat patentes neque quidquam impedimenti tanto torrenti obiiicientes? Deinde vero ineptum est dicere poetam aliquem multa laude vel, si hoc praeferas, multa cum laude fluere *). Quo cum loquendi genere cave compares notissimam illam et vere egregiam Horatii translationem (Carm. 4, 2, 7): *Fervet immensusque ruit profundo Pindarus ore.* Nam ut optime dicitur poeta profundo ore ingentis fluvii instar ruere, ita inepte dicitur multa laude fluere: est enim haec violenta simul et insulsa translationis inchoatae inter-

*) Nunc demum video esse qui *ἐπαίνῳ ῥέεσάντα* interpretentur manantem laudibus Cratinum, sicuti dicitur aliquis *ἰδρῶτι, αἵματι ῥέειν β. ῥεῖσθαι*. Quod tamen vix cuiquam placiturum esse existimo.

ruptio. Denique vero formae ἔρρευσα, ῥεῦσαι, ῥεύσας pro Allicis vel, ut accuratius dicam, pro Aristophaneis haberi non possunt. Futurum quidem ῥεύσασμαι satis munitum videtur scriptorum Aristophani fere aequalium auctoritate, veluti Pherecratis apud Ath. 6, 269 D: ποταμοὶ ἀπὸ τῶν πηγῶν τῶν τοῦ Πλούτου ῥεύσονται, Cratelis apud eundem 6, 268 A: ἐκάστῳ ῥεύσεται εἰς τὴν πύelon, Euripidis in Theseo apud schol. Arist. Ran. 476: ὀμμάτων δ' ἄπο αἰμοσταγῆι πρησῆρε ῥεύσονται κάτω. Contra aoristus ἔρρευσα nulla idonea auctoritate ita defenditur, ut apud Aristophanem admitti posse videatur. Nam ut Aeschylum (ap. Athen. 10, 421 E) iam dudum ab Lobeckio emendatum et Pseudoeuripidem in Danaë (v. 32) praeterrmittam, Platoni in Rep. 8, 544 E iam Lobeckius quod sciam primus ad Phrynich. 739 pro ῥεύσαντα rectissime restituit ῥέψαντα, a recentioribus editoribus iure receptum; Lycurgi vero locum (96) λέγεται κύκλω τὸν τόπον ἐκεῖνον περιρρεῦσαι τὸ πῦρ, etiamsi facillima Fritzschi emendatione (τὸν τόπον ἐκεῖνον περιρρεῖσθαι τῷ πυρί) reiecta cum recentissimo Lycurgi editore librorum nihil variantium lectionem retineas (περιρρεῦσαι), in defensionem apte vix advocaveris; Lycurgus enim decem fere lustris post Aristophanem floruit neque idem utriusque licebat. Neque magis vero quam participium ῥεύσας Fritzschi coniecturam (ῥέψας) ferendam esse censeo. Commendatur illa quidem similitudine pronunciationis: nam illis temporibus, quorum industriae maximam codicum nostrorum partem debemus, ῥεύσας et ῥέψας sine ullo discrimine efferebantur *); relutatur vero, si aliquid ego video, ipsa loci sententia. Nam ῥέπειν recte dicitur flumen paullatim et sine ullo fervore atque impetu delabens magis quam decurrens, veluti Plato l. c. mo. es hominum et consuetudines etiam leges et reliqua civitatum instituta fluminis instar lente furtimque labentis secum trahere atque auferre di-

*) Ex eadem pronunciationis ambiguitate in Nubibus (811) duplex librorum scriptura orta est: ἀπολαύσεις et ἀπολάψεις. Cf. G. Hermannii adnotat. ad h. l.

cit: ἂν ὡςπερ ῥέψαντα τᾶλλα ἐφελκύσῃται. Quod quam non conveniat in Cratinum Horatiani Pindari in modum magnacum vi ex montibus se proruentis fluvii similem omnesque adversarios invitos secum auferentem, per se patet. Sed una tantum literula addita praeclaram Aristophanis elegantiam eloquendique nitorem agnosces. Scribe enim:

εἶτα Κρατίνου μεμνημένος, ὃς πολλῶν πρὸ ἔψας πότ'
ἐπαίνῳ

διὰ τῶν ἀφελῶν πεδίῳν ἔρρει.

22. Pulcherrime Niciae Demosthenis mores atque ingenium et discrimen, quo voluntates utriusque et consilia discernebantur, initio fabulae Aristophanes delineavit quodammodo et depinxit ita, ut neminem spectatorum tam rudem et caecum fuisse arbitrer, quin nullis admonitus nominibus sub servulorum istorum personis statim notissimos illos celeberrimosque imperatores agnosceret. Qui postquam, ut Paphlagonis iniuriis se eriperent, consilium aufugiendi diu sed frustra volutaverunt animo, Nicias, qua fuit erga deos non solum pietate, sed etiam superstitione, optimum esse censet confugere ad aliquam deorum statuum ibique supplices procumbere. Demosthenes vero, impietate illis temporibus non minus perulgata imbutus et infectus, tam credulum esse suum ὁμομαστιγίαν immane quantum indignatur et v. 32 quasi mirabundus

ποῖον, inquit, βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ θεοὺς;

Haec enim est scriptura, versus metro pessumdato: attamen ἡγῆ σὺ pro ἡγεῖ γὰρ Rav., ποῖον βρεττέτας ἐτεὸν ἡγῆ γὰρ Laurentianus 31, 15; βρέτας; ποῖον βρέτας; ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ Parisinus B et Vaticanus Kusteri; βρέτας; ποῖον βρέτας ἡγῆ γὰρ Laurentianus 31, 16; ποῖον βρετέτας ἐτεὸν ἡγεῖ γὰρ Ald. et scholiasta, ἐν παρολκῆ, dicens, παιζῶν. Unam syllabam vel duas deesse quum vetustiores tum recentiores editores animadverterunt tantum non omnes; quorum alii lacunae signum ponere satis habuerunt, alii coniectura locum emendare conati sunt. Quin etiam in codicum scripturis coniecturae insunt, veluti in Parisino B, Vaticano, utroque Lauren-

tiano; neque aliter explicandae sunt lectiones ed. Aldinae et scholiastae. Nam quis tandem est, qui barbarum istud *βρέτας*, quod miror etiam a C. F. Hermannō defensum esse, iustis rationibus tueri possit? Barbare, ut servum peregrinum, Demosthenem ista dicere contendunt: at ubi tandem vel in Equitibus, vel in Pace, vel in Vespis, vel in alia Aristophanis fabula servi barbarorum lingua utuntur, uno excepto Scytha in Thesmophoriazasis? Tam bene illi graece loqui didicerunt, ut hac saltem in re a dominis suis nihil differant; et quum Demosthenes per totam fabulam ubique pura et sincera Atticorum dialecto utatur, mirum profecto esset, si una voce ab ea declinandum esse censuisset. At, inquit, Demosthenes ut servus rariorem illam vocem *βρέτας* non intelligit et balbutiens corrumpit. Quid vero? unde Nicias, qui non minus quam Demosthenes servus est, illam cognitam habet? Neque vero consentaneum est Demosthenem et Niciam eo fine ab Aristophane in servos commutatos fuisse, ut servorum in modum etiam loquerentur et agerent. Spectatores enim statim initio scire voluit, servos illos, qui in scenam prodirent, imperatores esse Atheniensium illo tempore notissimos: absurdum igitur fuisset, si eos, quos ab omnibus veros nobilesque Athenienses cognosci vellet, balbutientes graecaeque linguae ignaros produxisset. Praeterea vocem *βρέτας* neque tam inusitatam fuisse Atticis et raram, ut Demosthenem eam non intellexisse credere possemus, neque solum apud tragicos inveniri, id quod post C. F. Hermannum alii quoque viri docti contenderunt, iam ex eo apparet, quod apud Aristophanem ipsum in *Lysistr.* 262 sine ulla ironiae irrisionisve suspitione occurrit: *τίς ἀν ἧλιω ἀκοῦσαι, γυναικας κατὰ μὲν ἄγιον ἔχειν βρέτας, κατὰ δ' ἀκρόπολιν ἐμὴν λαβεῖν;* Itaque *βρέτας* omnino immutatum retinendum erit. Lacunam vero iam Reisigius explevit illato verbo *θεῶν μονοσυλλάβως* h. l. per synizesin pronuntiando. Vituperatus quidem est Reisigius a Dobraeo, cui Elmsleius ad *Med.* 1129 persuasit eiusmodi synizeses tragicorum esse proprias neque apud comicos poetas admitti.

Sed hoc quidem falso et Dobracus et Elmsleius. Rariora enim apud Aristophanem esse quam apud tragicos talis synzesis exempla negari non potest, quum praesertim satis probabilis eius rei afferri possit ratio. Nam quum versus trimetrus is, quo comici utuntur, multo liberius et solutius decurreret quam apud tragicos, id imprimis cavendum erat, ne libertas illa in lasciviam et ambiguitatem metri degeneraret. Propterea igitur poetae comici et positionem debilem quam dicunt et synzesis duarum unius vocis syllabarum consulto plerumque spreverunt, necubi forte dubitari posset, qua ratione versus recitaretur; verum non ita spreverunt, ut nunquam admitterent. Et de synzesis quidem in editione dixi, quamobrem hic nihil adiiicio. Aliud vero recte Dobraeus monuit, Reisigii coniecturam si probes, postulare emphasin, ut *ποιῶν βρέτας θεῶν*, non *ποῶν* legatur. Non enim de signis staturisque deorum, sed de diis ipsis magnopere dubitat Demosthenes. Est vero in mirantium indignantiumve interrogationibus haec pronomini *ποῶς* ratio, ut semper cum ea voce coniungatur, in qua ut ita dicam quasi cardo dubitationis vel dissensionis vertitur. Et hic quidem de diis inter Demosthenem et Niciam non convenire et sententia ipsa et eo demonstratur, quod ille indignabundus interrogationi suae addit: *ἐτεὸν ἤγεῖ γὰρ θεούς;* De pronom. *ποῶς* cf. Ach. 61. 108. 156. 761. Nub. 366. 1232. 1247. Vesp. 1201. 1368. 1377. Av. 1231. Lys. 729. 921. 970. 1177. Ran. 529. Plut. 1045. Itaque non dubitavi Reisigii coniecturam, emendatam illam quidem a Dobraeo, sed nihilominus reiectam recipere.

23. Redeamus ad locum, de quo supra iam disputavimus, v. 258 sqq.: ubi etiam aliud vitium detexisse mihi videor in v. 264:

καὶ σκοπεῖς γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν.

Verbum *σκοπεῖς* misere molesteque repetitum est, ni fallor, ex v. 259. Quisquis enim illud perspectum habet, quam accurate Aristophanes in translatione inchoata permaneat et quam artificiose eam per singula vocabula continuet, is profecto

iure offendetur eo quod, quum aptissimam proposuerit ad describenda innocentissimorum civium damna et incommoda ovis tonsae imaginem (ἀμνοκῶν), non aptius et accommodatius ad illam verbum repererit, quam languidum istud et frigidum σκοπεῖς. Aptissime supra dixit: ἀποσκαῶζεις τοὺς ὑπευθύνους, σκοπῶν ὅστις αὐτῶν ὠμός ἐστιν ἢ πέπων ἢ μὴ πέπων, aptissime infra 326: ἀμέργει τῶν ξένων τοὺς καρπίμους, aptissime in Pac. 641: τοῦτον ὡςπερ κνίδι' ἐσπαράττειε; ineptissime hic dixisset σκοπεῖς τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν. Accedit quod gradationis illius, de qua supra (c. 7) dixi, vis et vigor omnis deminuitur et infringitur, si post vexationes sociorum vividissime quasi depictas et ante oculos positas de Cleonis in cives innocentissimos iniuriis haec dicantur: σκοπεῖς τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν. Scilicet nihil aliud facit Cleo quam videt, quis eorum plagipatida sit in morem ovium: qui illud unum spectet et persequatur, ut cuicumque potest fortunas divitiasque eripiat. Itaque reposui, quod facillime in σκοπεῖς potuit commutari,

καὶ πέκεις γε τῶν πολιτῶν ὅστις ἐστὶν ἀμνοκῶν.

24. Venustissimum est ipsa pugnantium audacia et atrocitate certamen hominum nequissimorum et impudentissimorum, Cleonis et Insiciarii: cuius certaminis vehementia paulatim eo erumpit, ut Insiciarius adversario in omnibus rebus oblectari obstinatus ne disrupti quidem eum passurus videatur, donec a choro admonetur, quam praeclarum sit, si illud quod Cleo fore praedixerat (διαρραγήσομαι) eveniat. In hoc certamine Cleo adversarii sui, hominis novi, audaciam admiratus v. 342 τῷ καὶ πεποιθώς, inquit, ἀξιότις ἐμοῦ λέγειν ἔναντα; Quae etiamsi primo adspectu bene se habere ac sana esse existimes, tamen diligenter spectata vitio aliquo infecta videntur. Interrogat Cleo, qua arte fretus sibi contradicere audeat Insiciarius. Respondet hic: quod ipse quoque dicere didicerit et condire orationes. Ad quae summa cum contentione Cleo, quod ille dicere se didicisse perhibuerat, „vide“ inquit „tuam audaciam, quod dicere te posse confidis“ et

multis cum verbis propterea deridet, illud ipsum, quod Insi-
ciarius dicere se posse dixerit, tanquam novum aliquid et inau-
ditum pacne cum stupore quodam repetens. Scilicet nihil mi-
nus in adversario exspectaverat, quam aliquam eius artis
fiduciam, qua ipse solus inter Athenienses se pollere arbi-
trabatur. Iam si vera sunt quae diximus, Cleo Insi-
cium interrogare ulique non potest, qua tandem arte fretus contra
se dicere audeat. Nam si ipse eam artem in adversario ex-
spectat, cur tandem illum miratur gloriantem se quoque eam
didicisse. Nam ne cogites de artificiosa nescio qua eloquen-
tia, et Cleo ipse prohibet, qui apud Aristophanem certe
nihil nisi turbulentus et tumultuarius ut ita dicam est orator,
et Insi-
cium cavet, qui plebeiam suam esse facundiam neque
ultra coquorum modum ipse verbo illo testatur, quo ad suam
artem designandam utitur, *καυκοποιεῖν*. Itaque λέγειν v. 342
ex v. 343 ortum contenderim et legendum esse:

τί καὶ πεποιθῶς ἄξιότις ἐμοῦ βλέπειν ἔναίτα;

Nihil enim aptius et probabilius tali oratione. Qua tandem
arte fretus, inquit Cleo, coram me oculos tollere audes?
Respondet adversarius: Quod ipse quoque artem dicendi ple-
beiam didici. Ad quae Cleo vix tolerari posse existimans,
quod etiam iste artis dicendi peritiam sibi vindicet: Vide tuam
audaciam, inquit, in quantam te fiduciam et arrogantiam
abripit.

25. Quum victus iam in quingentorum senatu Cleo ira
et ultionis cupiditate inflammatus in scenam redeat, ut coram
Populo in Pnyce cum adversario digladietur, Insi-
cium exsultans et insperata victoria superbus Cleonis furorē
et rabiem salsissime deridet et sciens iram saepe fame ex-
acerbari ad leniendam illius saevitiam de ferculo aliquo se
cogitare simulat, quo, sicuti feram bestiam esca, illum de-
mulceat atque comescat. Dubitans vero, quo ille cibo ma-
xime gaudeat, v. 707

φέρε, inquit, τί σοι δῶ καταφαγεῖν;

ἐπὶ τῷ φάγοις ἡδίοι' ἄν; ἐπὶ βαλλαντίῳ;

Haec verba sic, ut hodie exstant, ab Aristophane scripta esse credat Iudaeus Apella. Nam quamquam misere se torserunt interpretes, ut inauditum dicendi genus *ἐσθίειν ἐπί τινι* explicarent et defenderent, operam atque oleum perdidērunt. Alii: super quamam re edas libentissime? an super crumena? super mensa cum edere dicentes, qui ad mensam sedens vescitur; alii praepositione *ἐπί* obsonii alicuius adiectionem significari existimantes locum Pacis (123) comparant: *ἔστει ἐν ὄρῳ κολλύραν μεγάλην καὶ κόρυδον ὄψον ἐπ' αὐτῆς*. Fuit etiam qui *ἐπί τῷ* interpretaretur: qua conditione h. e. quo cibo oblato. Quarum interpretationum nulla ferri potest. Nam omissio eo, qui esurienti conditionibus quibusdam et ut ita dicam pactione opus esse censebat ad famem depellendam, paene non minus ineptum est, quum homo esuriens satiandus sit, quaerere, quamam super mensa potissimum edere possit vel velit: nam non hoc, sed quo cibo satiandus sit, dubitatur. Altera vero quam commemoravimus explicatio mirum in modum ridicula est et ita excogitata, ut graecum sermonem perdat et corrumpat. Qui enim quisquam interrogare potest, obsonio ad quid adiecto libentissime edas? Certe si nescias, quid sit edendum, ineptum est quaerere, ad quid obsonium adiiendum sit, ut fames leniatur, tanquam ex aliquo quaerere velis, qua re ad quid adiecta libentissime vescatur. Itaque quod in Pace optime expressum est, quum ibi et cibus ipse et obsonium ad illum adiiendum commemoretur, id plane absurdum fit, si cibum, ad quem obsonium sit adiiendum, omiseris. Ne multa: ut optime dicitur *ἐσθίειν τι ἐπί τινι*, sic *ἐσθίειν ἐπί τινι*, nisi obiectum quod vocant facile suppleri possit, dici omnino non potest. Et ego quidem depravationem ex levissima mutatione ortam esse existimo. Pro *ΗΛΙΟΤ* enim Aristophanem scripsisse arbitror *ΗΛΟΙΤ*, quo facto quod ille posuerat *φρώνων* quasi necessitate quadam eegente in *φάγοις* commutatum est. Itaque legendum esse censeo:

ἐπί τῷ φρώνων ἡδοιτ' ἄν; ἐπί βαλλαντιῶ;

Quum enim frustra versu antecedenti Cleonem Insciarus interrogavisset: *φέρε, τί σοι δῶ καταφαγεῖν*; iam ad chorum se convertit quaerens, quonam famelicum illum ferculo comeso maxime gaudere arbitrentur; cui interrogationi deinde *παρ' ὑπόνοιαν* adicitur: an putatis fore, ut gaudeat crumena sibi donata?

26. Optime Boeckhius (Staatshaush. II, p. 90) v. 918 Cleonem minari dicit se curaturum esse, ut Insciarus inter trierarchos receptus navem putridam accipiat, in qua instruenda et reficienda ingentem pecuniam sit consumpturus; etiam id se effecturum, ut malus navis sit marcidus. Etenim iam antiquitus navis ipsa publice dabatur, ea vero omnia, quae instruendae navi inservirent, instrumenta et lintea a singulis civibus, quibus trierarchis erat nomen, parabantur. Nam si etiam armamenta navalia publice data essent, quid tandem, quum etiam stipendia classariis publice persolverentur trierarchorum curae relictum fuisset? Vnum tantummodo miror Boeckhium non animadvertisse: nam apud Aristophanem nihil eiusmodi. Sicut enim hodie eius verba leguntur, non de malo marcido loquitur Cleo, sed de velis linteisque putridis:

*διαμηχανήσομαί θ', ὅπως
ἄν ἰστὶὸν σαπρὸν λάβῃς.*

Quae quum omnino Atheniensium consuetudini rerumque navalium apud eos rationi adversentur, patet scribendum esse:

*διαμηχανήσομαί θ', ὅπως
τὸν ἰστὸν ἄν σαπρὸν λάβῃς.*

27. In iis quae ad istas Cleonis minas Insciarus respondet (v. 919 sqq.) semper mihi persuasi coniunctionem quam dicunt copulativam admitti non posse; tam celeriter enim et vehementer illa proferuntur, ut huic orationis formae asyndeton optime conveniat. Itaque non *ὑφελκτέον τῶν δαδίων, ἀπαρυστέον τε τῶν ἀπειλῶν ταυτηί* legendum esse arbitror, sed

*ὑφελκτέον
τῶν δαδίων, ἀπαρυστέον
τι τῶν ἀπειλῶν ταυτηί.*

23. Quum ab Insiciario de dolis fraudibusque Cleonis edoctus Populus illum, qui antea gratia apud se plurimum valuisset, abdicare se magistratu annulumque signatorium reddere iussisset et Insiciarium promum condum creare in animo haberet, Cleo ultimam spem in oraculis suis ponit, quibus ut antea stupidum ac superstitiosum senem occaecatum iri confidit. At enim oracula quoque multo splendidiora et magnificentiora profert Insiciarius, qua re ita perterretur Cleo, ut ad superandum adversarium plenissimis velis navigandum esse ratus magis magisque promissa sua augeat et ad postremum domino tantum non auri montes polliceatur. Et quum sciat hoc maxime gaudere Populum oraculo, recitat vaticinium, quo deus aquilam fore aliquando dominumque totius orbis terrarum eum praedixerit. Quae etiamsi vix videntur superari posse, tamen Insiciarius v. 1088:

*καὶ γὰρ ἐμοί, καὶ γῆς καὶ τῆς ἐρυθροῦς γε θαλάσσης,
χῶτι γ' ἐν Ἐκβατάνοις δικάσεις λείχων ἐπίπαστα.*

Offendit in his verbis alterum *καί*, quod copulando hic quidem inservire non potest, quum nihil praecesserit, quocum ea quae sequuntur coniungi possint. Si enim ex Cleonis verbis id quo *καί* pertineat, repetere velis, sic supplenda erit sententia: *καὶ γὰρ ἐμοὶ χρησιμὸς ἔστιν, αἰετὸς ὡς γίγνεται καὶ πάσης γῆς βασιλεύεις καὶ γῆς καὶ τῆς ἐρυθροῦς γε θαλάσσης*, id quod vides fieri non posse, quod, quum iam Cleo Populum dominum fore orbis terrarum praedixerit, imperium terrae tanquam aliquid novi ab Insiciario iam promitti non potest. An gradationem significat? At nulla potest esse gradatio eius, qui alterius promissa repetit. Ne ad risum quidem movendum, quum Cleo iam Populo imperium terrarum vaticinatus esset, Insiciarius dicere poterat, etiam sibi simile esse oraculum, Athenienses fore terrae dominos praedicens. Quapropter Reiskius locum corruptum esse ratus coniecit: *καὶ γὰρ ἐμοὶ καὶ τῆς Σικελῆς ἐρυθροῦς τε θαλάσσης*. At nemo non intelligit gradationem, qua Insiciarius rursus ingentia Cleonis commenta superat, eo constare, quod non solum ter-

rarum, sed etiam maris, et eius quidem remotissimi dominationem Populo promittat. Itaque regem eum fore dicit, ut ex Cleonis vaticiniis omnium terrarum, sic ex suis omnium marium; unum vero exempli causa nominat, fabulosissimum illud et ab Atheniensium oris longissimo spatio disiunctum. Cuius gradationis vis statim imminuitur et infringitur, ubi pro Erythraeo mari duo posueris maria, quorum alterum satis bene notum erat et iam dudum ab Atheniensibus frequentatum. Itaque salius duco alterum *καί* (ante *γῆς* positum) commutari in *περὶ*: horum enim verborum compendia in libris simillima sunt:

καὶ γὰρ ἐμοὶ (sc. *χρησμός ἐστι*) *περὶ γῆς καὶ τῆς ἐρυθραῆς γῆς* 9.

Scilicet Insiciarius initio vix fieri posse sperans, ut adversarii promissa superet, haec quasi inopiae suae conscientia perterritus repetit; sed statim aliud quoddam maiusque commentum nactus: Etiam mihi, inquit, oracula sunt de orbe terrarum, cuius tu dominus eris, nec solum de orbe terrarum, sed etiam de mari Erythraeo in tuam potestatem redacto; tanquam hoc sit extra orbem terrarum.

29. Victus oraculorum commissione Cleo a Populo petit, ut etiam beneficiorum quoddam certamen instituat, hoc saltem se superiorem discessurum esse sperans. Facile dominus consentit et (v. 1108) *ὁπότερος ἂν σφίῃν*, inquit, *εὖ με μᾶλλον ἂν ποιῇ, τοῦτω παραδώσω τῆς πυκνὸς τὰς ἡνίχας*. Ubi iam Reisigius (Coni. p. 188) alterum *ἂν* convertendum arbitrabatur in *αὖ*, probante Dindorfio. At *αὖ* particula h. l. vix aptior est quam *ἂν*. Reclius, ut videtur, G. Hermannus: *ὁπότερος ἂν σφίῃν εὖ με νῦν μᾶλλον ποιῇ*, vel, ut apud Bergkium est in praefatione: *νῦν με μᾶλλον εὖ ποιῇ*. Equidem sequor Hermannum, nisi quod propius etiam ad librorum MSS. scripturam accedi posse arbitror, si scribas:

ὁπότερος ἂν σφίῃν εὖ με μᾶλλον νῦν ποιῇ.

Nam *μᾶλλον νῦν* facillime commutari potuit in *μᾶλλον ἂν*.

30. Commissum in certamen par nobile fratrum cum cupediis suis ac pulpamentis in scenam prodeunt dominum certalim saginaturi. Magno cum gaudio sed bona ex parte simulato Populus et magnificos utriusque apparatus et acerrimam aemulorum industriam intuetur. Ita animo affectus (v. 1162)

ἀλλ' ἢ μεγάλως, inquit, εὐδαιμονήσω τήμερον
ὑπὸ τῶν ἐραστῶν, νῆ Δί', ἢ ἄ γ' ὠ θρ ὑ ψ ο μ α ι.

Haec ego corrupta esse quovis pignore contenderim. Explicant quidem: vehementer beatus ero hodie tantis per amatores beneficiis affectus, nisi nimis fastidiose me geram. Agere enim Populum partes puellae alicuius puerive superbientis et vel officiosissimi amatoris preces fastidientis. Et est haec satis nota significatio verbi *θρῦπτεσθαι*. Cf. Xen. Conviv. 8, 4: καὶ ὁ Σωκράτης ἐπισκώψας ὡς δὴ θρῦπτόμενος εἶπεν. Luc. Dial. mar. 13, 1: ἢ μὲν περὶ τὰς ὄχθας ἀλύουσα ἠὔχετό σοι ἐντυχεῖν, σὺ δὲ ἐθρῦπτου πρὸς αὐτήν. Dial. meretr. 12, 1: θρῦπτῆ, ὦ Δισία, πρὸς ἐμέ. Tamen hanc significationem in nostrum locum non convenire existimo. Bene enim se haberet, si Populus diceret: Sane ego hodie magnifico et lautissime vivam, nisi forte delicias facere in animo est. Hoc vero graece dicendum erat: ἀλλ' ἢ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον, εἰ μὴ θρῦψομαι, vel: ἢ μεγάλως εὐδαιμονήσω τήμερον ἢ θρῦπτοίμην ἄν (nos: ich müsste denn sehr spröde thun). Contra futuro tempore (ἢ θρῦψομαι) is tantum uti potest, qui pro certo se delicias facturum esse affirmat. Itaque eorum quae vulgo hodie leguntur non potest alia sententia esse quam haec: At ego hodie aut magnifice lauteque vivam aut, si hoc non fiet, delicias faciam. Quae quam inepta sint vides. Sane vero illud quod dixi dicendum fuisse: ἀλλ' ἢ εὐδαιμονήσω -, εἰ μὴ θρῦψομαι neque a librorum MSS. literis neque a sensu ita abhorret, ut omnino reiiciendum esse videatur. Tamen mihi quidem alia quaedam emendationis ratio multo aptior et,

si quid video, ad sententiam loci accommodatior in mentem venit. Cursorum enim instar Cleo et Insciarus cum corbe uterque penaria scenam ingressi quasi ex carceribus emissi ad Populum properant, id uterque spectans, ut prior domino cupedias suas offerat. Et tanto cum ardore tantaque cum vehementia accurrunt, ut tantum non pedibus Populum obterant. Itaque is cuti suae limens a tanto aemulorum fervore hacc dicit:

ἀλλ' ἢ μέγᾳλως εὐδαιμονήσω τήμερον
ὑπὸ τῶν ἐρασιῶν, νῆ Δίῳ, ἢ πικρίψομαι.

De significatione verbi ἐπιτριβεσθαι cf. ea quae dixi in editione. Media vero forma passivo sensu etiam Thucydides usus est 6, 18, 7 (ubi cf. Krueg.) et 7, 42, 6. *)

Scrib. Elbingae Idib. Novembr. a. MDCCCLIII.

Theodorus Kock.

*) Hac occasione oblata liceat mihi ea corrigere quae in commentatione mea superiore anno edita typographi peccaverunt.

p. 342 l. 20 pro τί δέ; (Rav. τί δαί;) lege: 1091 τί δαί; (R. τί δέ;); — p. 344 l. 14 pro σχώψηις l. σκώψηις — p. 347 l. 23 post v. reperire dele comma — p. 350 l. 2 pro benevolentia l. benevolentia — ib. l. 22 pro τί l. σέ — p. 351 l. 16 pro ἡ τοῦς τι l. ἡ τοῦς νέους τι — p. 352 l. 31 pro Rav. l. Ran. — p. 356 l. 21 pro Pudicitiae l. Pudicitiae — p. 358 l. 19 post v. continuant dele semicolon — ib. l. 26 pro vitiam l. vitium — p. 359 l. 14 pro δή γε l. δὴ δέ — p. 360 l. 32 pro beneficiorem l. beneficiorum — p. 363 l. 4 pro Thyphonisque l. Typhonisque